

habeat et fratres: cum hic mos sit divinarum Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit. Lege supradictum libellum adversus Helvidium.

Varia de Vigilia Nativit. Domini, ex Benedicto XIV.
[DE FESTIS DOMINI, LIB. I, CAP. XVII, N. 55-56.]

340 **R**udem profecto et omnino sacrarum rerum expertem esse cum oportet, qui nesciat Pervigilia conventus fuisse fidelium nocturnos ad Deum deprecandum. Eos conventus Plinius commemorat epistola ad Traianum, in qua mores describit Christianorum: *Quod soliti essent stato die ante lucem convenire, carmenque Christo tanquam Deo dicere:* atque eo alludit Tertullianus libro ad uxorem capit. 4 ubi exponens, quam impedita esset fidelis mulier, quae infideli nupsisset viro, ait: *Quis (vir infidelis) nocturnis convocacionibus, si ita oportuerit, a latere suo abscedere coniugem suam libenter feret?*

341 Sancti Natalis Pervigilium inter cetera semper fuit percelebre, et cum icinio coniunctum. *Ea fuit Ecclesiae pia consuetudo, ut praecipuus Solemnitates, Sanctorumque Festivitates Vigiliis praesentaret, inter quas cum non infimum locum semper obtinuerit Nativitas Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, suam etiam ab initio Vigiliam*



habuisse minime ambigimus, quam cum icinio celebratam fuisse dicimus ex S. Augustini epistola 65, novae edit. ad Xantippum. Verba sunt Martene. tom. 4, vet. edit. cap. 2, num. 1. Hac accedit quod scripsit S. Caesarius in Regula ad Virgines: Natali Domini, et Epiphania ab hora tertia noctis usque ad lucem vigilandum est. Narrat S. Gregorius Turonensis, De gloria Martyrum, cap. 87, in Natalis Pervigilio Episcopalis Officii obconditis fessum se ad paullulum somni capiendum secessisse; hominem sibi incognitum adstitisse in somnis, sequi semel atque iterum excitasse; cumque nihilominus in somnum esset relapsus, hominem illum ei alapam imegissc, atque in hunc modum eum increpasse: Ita ne vero tu dormis, cuius est curare ut ceteri vigilent? quae causa fuerit, ut statim ad templum redierit. Gravissimis causis permota Ecclesia, ut scandala plura tollerentur, nocturnos agitari conventus vultit; nocturnaque pervigilia hoc tempore dumtaxat Monachae, et alia quaedam Religiosorum Collegia celebrant, quod observat Ferdinandus Mendoza lib. 3, De confirmando Concilio Illiberitano in Notis ad Can. 36, tom. 1, Concil. Collect. Labbaenae, pag. 1227. Verum ex eo interdicto Pervigilium Natalis Domini eximitur, quod non modo icinio, sed ex veteri consuetudine etiam nocturnis conventibus in Ecclesiis, cantandisque Officiis, et post mediam noctem Sacrificio peragendo celebratur. De ea disciplina fuse disseruimus Institut. 13. Videat Florentinus Exer. 2, in qua de veterum vigilarum usu, ac de Pervigilio Nat. Chr. Dom. erudite disputat.



IN NATIVITATE DOMINI

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. II, 1-14.

In illo tempore: Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.

1. Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino:

2. et habitant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem.

3. Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth, in Iudaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlechem: eo quod esset de domo et familia David,

4. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.

5. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

6. Et peperit filium suum primogenitum, et panis cum involvit, et reclinavit eum in praesepio: quia non erat eis locus in diversorio.

7. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.

8. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timebant timore magno.

9. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo:

10. quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

11. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem panis involutum, et positum in praesepio.

12. Et subito facta est cum Angelo multitudo militum caelestium, laudantium Deum, et dicentium:

13. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA VIII. IN EVANGELIA. *Habita ad populum in basilica beatae Mariae Virginis die Natalis Domini.*

Quia, largiente Domino, missarum 342
solemnia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de evangelica lectione non possumus. Sed nos aliquid vel breviter dicere Redemptoris nostri nativitas ipsa compellit. Quid est quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quia ille veniebat in carne, qui electos suos adscriberet in aeternitate? Quo contra de reprobis per Prophetam dicitur: *Deleantur de libro viventium, et cum iustus non scribantur* (PSAL. LXVIII, 29). Qui bene etiam in Bethlechem nascitur: Bethlechem quippe domus panis interpretatur. Ipse namque est, qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi* (IOANN. VI, 41, 52). Locus ergo in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est, quia futurum profecto erat ut ille ibi per ma-

teriam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate refecerit. Qui non in parentum domo, sed in via nascitur: ut profecto ostenderet, quia per humanitatem suam, quam assumpserat quasi in alieno nascebatur. Alienum videlicet non secundum potestatem dico, sed secundum naturam. Nam de potestate eius scriptum est: *In propria venit* (IOANN. I, 11). In natura etenim sua ante tempora natus est, in nostra venit ex tempore. Qui ergo aeternus permanens, temporalis apparuit, alienum est ubi descendit. Et quia per prophetam dicitur: *Omnis caro fenem* (Is. XL, 6), factus homo, fenem nostrum vertit in frumentum, qui de semetipso ait: *Nisi gramen frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet* (IOANN. XII, 24). Unde et natus in praeseptio reclinat, ut fideles omnes videlicet sancta animalia, carnis suae frumento reficeret, ne ab aeternae intelligentiae pabulo ieiuna remaneret. Quid autem est, quod vigilantibus pastoribus angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulget, nisi quod illi praeceteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus praesse solite sciunt? Dumque ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos gratia largius coruscant.

343 Regem vero natum angelus nuntiat, eiusque voci angelorum chori concinunt, et congaudent clamant: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis*. Prius quippe quam Redemptor noster nasceretur per carnem, discordiam cum angelis habuimus, a quorum claritate atque munditia per primae culpa meritum, per quotidiana delicta longe distabamus. Quia enim peccando extranei eramus a Deo, extraneos nos a suo consortio deputabant angeli cives Dei. Sed quia nos cognovimus Regem nostrum, recogoverunt nos angeli cives

suos. Quia enim coeli Rex terram nostrae carnis assumpsit, infirmitatem nostram illa iam angelica celsitudo non despicit. Ad pacem nostram angeli redeunt, intentionem prioris discordiae postponunt; et quos prius infirmos abiectosque desperaverant, iam socios venerantur. Hinc est enim quod Loth (GENES. XIX, 1) et Iosue (IOSUE V, 15) angelos adorant, nec tamen adorare prohibentur; Ioannes vero in Apocalypsi sua adorare angelum voluit, sed tamen idem hunc angelum ne se debeat adorare compescuit, dicens: *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum et fratrum tuorum* (APOC. XXII, 9). Quid est quod ante Redemptoris adventum angelus ab hominibus adorantur, et tacent, postmodum vero adorari refugiunt: nisi quod naturam nostram, quam prius desperaverant, postquam hanc super se assumptam conspiciunt, substratam sibi videre pertimescunt? Nec iam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam super se videlicet in coeli Rege venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium, qui super se adorant hominem Deum. Curemus ergo, fratres charissimi, ne qua nos immunditia polluat, qui in aeterna praesentia et Dei cives, et angelis eius aequales sumus. Vindicemus moribus dignitatem nostram, nulla nos luxuria inquinat, nulla nos turpis cogitatio accuset, non malitia mentem mordeat, non invidiae rubigo consumat, non elatio inflat, non ambitio per terrena oblectamenta dilaniat, non ira inflammet. Dii etenim vocati sunt homines. Defende ergo tibi, o homo, contra vitia honorem Dei, quia propter te factus est Deus homo: qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

Varia de Nativitate D. N. I. C., ex S. Bonaventura.
(DE NATIV. DOMI. SERMO XXXIII.)

344 **E**XIII^o dictum a Caesari Augusto, ut describeretur universus orbis, etc., Lucae secundo.

345 In isto reverendissimo Evangelio circa Christi, superbenedicti Dei Filii, gratiosam nativitatem de Virgine, ad dedicationem fidelium octo summo opere speculanda sunt, scilicet temporis Christi nativitatis decentis gratiosa idoneitas, quia tempore Octavianus Augusti, cui totus mundus erat subditus et per eum tunc descriptus et professus. — *Loci venerabilis praedestinata qualitas*, quia in Iudaea provincia, Bethlechem civitate. — *Inemeratae Virginis benedicta fecunditas*, quia impleti sunt dies, ut pareret, et peperit Filium suum primogenitum. Superbenedictae Proles natae sublimis simul et singularis humilitas, paupertas et asperitas, quia panis est involutus, in praeseptio reclinatus, in diversorio natus. — *Beati Ioseph officiosa simul et pia sollicitudo*, quod hinc inde subministrans, venerabatur et Partum et parientem. — *Pastorum simplicium devota simul et sincera credulitas*, quia eunt in regione eadem. — *Supernorum spirituum nova simul et mira incanditas*, quia facta est cum Angelo, etc. — *Humani generis inchoata et annuntiata felicitas*, quia dixit illis Angelus: *Evangelizo vobis gaudium*, etc.

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM,
LUC. II, 15-20.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlechem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis.

16. Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Ioseph, et infantem positum in praeseptio.

17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc.

18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt: et de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos.

19. Maria autem conservabat omnia verba haec, confitens in corde suo.

20. Et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum, in omnibus quae audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

EXPOSIT. IN LUCAM, L. II, CAP. 2.

346 **V**IDETE Ecclesiae surgentis exordium: Christus nascitur, et pastores vigilare coeperunt, qui gentium greges, pecudum modo ante viventes in caulam Domini congrega-

rent; ne quos spiritalium bestiarum per offusas noctium tenebras paterentur incursum. Et bene pastores vigilant, quos bonus pastor informat. Grex igitur popululus, nox saeculum, pastores sunt sacerdotes. Aut fortasse etiam ille sit pastor, qui dicitur: *Esto vigilans, et confirma* (APOC. III, 2); quia non solum episcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam angelos destinavit.

347 *Ecce Angelus Domini stetit ante illos.* — Videte quemadmodum cura divina fidem astruat: angelus Mariam, angelus Ioseph, angelus pastores edocet. Non satis est semel missum; duobus enim vel tribus testibus stat omne verbum.

348 *Et facta est cum angelo multitudo exercitus coelestium laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* — Bene angelorum nominatur exercitus, qui ducem militiae sequebantur. Cui igitur laudem angeli, nisi Domino suo dicerent, iuxta quod scriptum est: *Laudate Dominum de coelis, laudate eum in excelsis. Laudate eum, omnes angeli eius?* (PSAL. CXLVIII, 1, 2). Impleta igitur propheta est. Laudatur de coelis Dominus, et videtur in terris. De quo sanctus Marcus ait, quia *Cum bestis erat, et angeli ministrabant ei* (MARC. I, 13); ut in altero misericordiae insigne, in altero divinae iudicium potestatis agnoscas. Tuum est quod bestias patitur, suum quod ab angelis praedicatur. Et aiunt:

349 *Transeamus usque Bethlechem, et videamus hoc Verbum quod factum est, sicut Dominus ostendit vobis. Et venerunt festinantes.* — Vides festinare pastores; nemo enim cum desidia Christum requirit. Vides pastores angelo credidisse: et tu Patri, Filio, Spiritui sancto, angelis, prophetis, et apostolis crede. Vide quam signate Scriptura singularum libret momenta verborum: *Festinat, inquit, Verbum vi-*

deret. Etenim cum caro Domini videtur, Verbum videtur, quod est Filius. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum, non vilis persona pastorum. Certe quo villor ad prudentiam, eo pretiosior ad fidem. Non gymnasia choris referta sapientum, sed plebem Dominus simplicem requisivit, quae phalerare audita, et fucare nesciret. Simplicitas enim quaeritur, non ambitio desideratur. Nec contemnenda putes quasi vilia verba prophetarum: a pastoribus etiam Maria fidem colligit: a pastoribus populus ad Dei reverentiam congregatur; *mirati, enim, sunt de iis quae dicebantur a pastoribus ad ipsos.*

Varia de Nativitate D. N. I. C., ex S. Bonaventura.
(SERMO III DE NATIV. DOM.).

350 **E**VANGELIZO, inquit Angelus, quantum ad ista tria, vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est hodie vobis Salvator. Debemus autem gaudere, quia hodie inchoata fuit nostra vera *lactitia*; Ieremiae decimo quinto: *Factum est mihi verbum tuum in gaudium et lactitiam cordis mei, quoniam invocatum est nomen tuum super me.* — Quia hodie *terminata* fuit nostra magna *tristitia*; Esther nono: *Luctus atque tristitia in gaudium conversa sunt, quia Iudaeis nova lux oriri visa est.* — Quia hodie consummata fuit nostra parva *iustitia*; Isaiae sexagesimo primo: *Gaudens gaudebo in Domino, etc., quia induit me, etc.* Quia hodie *renovata* fuit inter nos et Deum *amicitia*; Isaiae sexagesimo quinto: *Non erunt in memoria priora, sed gaudebitis et exsultabitis usque in sempiternum.*

351 Invitant autem nos hodie ad gaudendum incarnati Verbi mysterium et per hoc divinum circa nos *beneficium*; Pueri nati *solatium*; reparationis nostrae *initium*; angelicae restorationis *subsidiium*; Virginis parentis *procurium*; Parvuli vagientis *spectaculum*; oris lactantis *suffragium*; pastorem simplicium beatum *tripudium*; supernorum spirituum hymnus et *tribulus.*

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
IOANN. I, 1-14.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.
2. Hoc erat in principio apud Deum.
3. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est:
4. in ipso vita erat, et vita erat lux hominum:
5. et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt.
6. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes.
7. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.
8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.
9. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.
10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.
11. In propria venit, et sui eum non receperunt.
12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius:
13. qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.
14. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

Homilia sancti Augustini Episcopi.
IN IOANN. EVANG., TRACT. I.

LENTUENS quod modo audivimus ex lectione apostolica, quod animalis homo non percipit ea quae sunt Spiritus Dei (I COR. II, 14), et cogitans, in hac praesenti turba Charitatis vestrae necesse esse ut multi sint animales, qui adhuc secundum carnem sapiant, nondumque se possint ad spirituales intellectum erigere, haesito vehementer, quomodo, ut Dominus dederit, possim dicere, vel pro modulo meo explicare quod lectum est ex Evangelio: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum:* hoc enim animalis homo non percipit. Quid ergo, fratres? silebimus hinc? Quare ergo legitur, si silebitur? aut quare auditur, si non exponitur? sed et quid exponitur, si non intelligitur? Itaque quoniam rursus esse non dubito in numero vestro quosdam, a quibus possit non solum expositum capi, sed et ante-

quam exponatur, intelligi; non fraudabo eos qui possunt capere, dum timeo superfluum esse auribus eorum qui non possunt capere. Postremo aderit misericordia Dei, fortasse ut omnibus satis fiat, et capiat quisque quod potest: quia et qui loquitur, dicit quod potest. Nam dicere ut est, quis potest? Audeo dicere fratres mei, forsitan nec ipse Ioannes dixit ut est, sed et ipse ut potuit; quia de Deo homo dixit: et quidem inspiratus a Deo, sed tamen homo. Quia inspiratus, dixit aliquid; si non inspiratus esset, dixisset nihil: quia vero homo inspiratus, non totum quod est dixit; sed quod potuit homo, dixit.

353 Erat enim iste Ioannes, fratres charissimi, de illis montibus, de quibus scriptum est: *Suscipiant montes pacem populo tuo, et colles iustitiam* (PSAL. LXXI, 3). Montes, excelsae animae sunt: colles, parvulae animae sunt. Sed ideo montes excipiunt pacem, ut colles possint excipere iustitiam. Quae est iustitia, quam colles excipiunt? Fides, quia: *Iustus ex fide vivit* (HABAC. II, 4; ROM. I, 17). Non autem exciperent minores animae fidem, nisi maiores animae, quae montes dictae sunt, ab ipsa Sapientia illustrarentur, ut possint parvulis traicere quod possint parvuli capere, et vivere ex fide colles, quia montes pacem suscipiunt. Ab ipsis montibus dictum est Ecclesiae: Pax vobiscum: et ipsi montes pacem annuntiando Ecclesiae, non diviserunt se adversus eum a quo susceperunt pacem (IOANN. XX, 19), ut veraciter, non fecte nuntiarent pacem.

354 Sunt enim alii montes naufragosi, quo quisque navim cum impulerit, solvitur. Facile est enim cum videtur terra a periclitantibus, quasi conari ad terram: sed aliquando videtur terra in monte, et saxa latent sub monte; et cum quisque conatur ad montem, incidit in saxa;

et non ibi invenit portum, sed planctum. Sic fuerunt quidam montes, et magni apparuerunt inter homines; et fecerunt haereses et schismata, et diviserunt Ecclesiam Dei: sed isti qui diviserunt Ecclesiam Dei, non erant illi montes de quibus dictum est: *Suscipiant montes pacem populo tuo.* Quomodo enim pacem susceperunt, qui unitatem diviserunt?

355 Qui autem susceperunt pacem nuntiandam populo, contemplati sunt ipsam Sapientiam, quantum humanis cordibus potuit contingi quod: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit* (I COR. II, 9). Si in cor hominis non ascendit, quomodo ascendit in cor Ioannis? An non erat homo Ioannes? An forte nec in cor Ioannis ascendit, sed cor Ioannis in illam ascendit? Quod enim ascendit in cor hominis, de imo est ad hominem: quo autem ascendit cor hominis, sursum est ab homine. Etiam sic, fratres, dici potest quia si ascendit in cor Ioannis, si aliquo modo potest dici, in tantum ascendit in cor Ioannis, in quantum ipse Ioannes non erat homo. Quid est, Non erat homo? In quantum cooperat esse angelus: quia omnes sancti, angeli; quia annuntiatores Dei. Ideo carnalibus et animalibus non valentibus percipere quae sunt Dei, quid ait Apostolus: *Cum enim dicitis: Ego sum Pauli, ego Apollo, nonne homines estis?* (I COR. III, 4) Quid eos volebat facere, quibus exprobrabat quia homines erant? Vultis nosse quid eos facere volebat? audite in Psalmis: *Ego dixi: Dii estis, et filii Excelsi omnes* (PSAL. LXXXI, 6). Ad hoc ergo vocat nos Deus, ne simus homines. Sed tunc in melius non erimus homines, si prius nos homines esse agnoscamus, id est, ut ad illam celsitudinem ab humilitate surgamus: ne cum putamus nos aliquid esse, cum nihil simus, non solum non acci-

in corde tuo, quando cogitas quamdam substantiam vivam, perpetuam, omnipotentem, infinitam, ubique praesentem, ubique totam, nusquam inclusam? Quando ista cogitas, hoc est verbum de Deo in corde tuo. Numquid autem hoc est sonus ille qui quatuor litteris constat, et duabus syllabis? Ergo quaecumque dicuntur et transeunt, soni sunt, litterae sunt, syllabae sunt. Hoc verbum transit, quod sonat: quod autem significavit sonus, et in cogitante est qui dixit, et in intelligente est qui audivit, manet hoc transcuntibus sonis.

360 Refer animum ad illud verbum. Si tu potes habere verbum in corde tuo, tamquam consilium natum in mente tua, ut mens tua pariat consilium, et insit consilium quasi proles mentis tuae, quasi filius cordis tui. Prius enim cor generat consilium, ut aliquam fabricam construas, aliquid amplum in terra moliaris; iam natum est consilium, et opus nondum completum est: vides tu, quid facturus es; sed alius non miratur, nisi cum feceris et construxeris molem, et fabricam illam ad exsculptiorem perfectionemque perduxeris: attendunt homines mirabilem fabricam, et mirantur consilium fabricantis; stupent quod vident, et amant quod non vident: quis est qui potest videre consilium? Si ergo ex magna aliqua fabrica laudatur humanum consilium, vis videre quale consilium Dei est Dominus Iesus Christus, id est, Verbum Dei? Attende fabricam istam mundi; vide quae sint facta per Verbum, et tunc cognosces quale sit Verbum. Attende haec duo mundi corpora, coelum et terram: quis explicat verbis ornatum coeli? quis explicat verbis fecunditatem terrae? quis digne collaudat temporum vices? quis digne collaudat seminum vim? Videtis quae taceam, ne diu commemorando parum dicam forte, quam potestis cogitare.

Ex fabrica ergo ista animadvertite quale Verbum est per quod facta est: et non sola facta est. Omnia enim ista videntur, quia pertinent ad sensum corporis. Per illud Verbum et Angeli facti sunt; per illud Verbum et Archangeli facti sunt; Potestates, Sedes, Dominationes, Principatus; per illud Verbum facta sunt omnia: hinc cogitate quale Verbum est.

Respondet mihi modo forte nescio quis: Et quis hoc Verbum cogitat? Noli ergo tibi quasi vile aliquid formare, cum audis Verbum, et conicere verba quae audis quotidie. Ille talia verba dixit, talia verba locutus est, talia verba mihi naras: assidue enim dicendo nomina verborum, quasi viliterunt, verba. Et quando audis: *In principio erat Verbum*, ne vile aliquid putares, quale consuevisi cogitare, cum verba humana soleres audire, audi quid cogites: *Deus erat Verbum*.

362 Exeat nunc nescio quis infidelis Arianus, et dicat quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud Verbum factum est? Si hoc dicis, quia est Verbum Verbi, per quod factum est illud, ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis Verbum Verbi, concede non factum per quod facta sunt omnia. Non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia: crede ergo Evangelistae. Poterat enim dicere: In principio fecit Deus Verbum: quomodo dixit Moyses: *In principio fecit Deus coelum et terram*; et omnia sic enumerat, Dixit Deus: Fiat, et factum est (GEN. I). Si dixit, quis dixit? Utique Deus. Et quid factum est? Creatura aliqua. Inter dicentem Deum et factam creaturam quid est per quod factum est, nisi Verbum? quia dixit Deus: Fiat, et factum est. Hoc Verbum incommutabile: quamvis muta-

biliter per Verbum fiant, ipsum incommutabile est.

363 Noli ergo credere factum, per quod facta sunt omnia: ne non reficiaris per Verbum, per quod reficiuntur omnia. Iam enim factus es per Verbum, sed oportet te refici per Verbum: si autem mala fuerit fides tua de Verbo, non poteris refici per Verbum. Et si tibi contigit fieri per Verbum, ut per illud factus sis, per te deficis: si per te deficis, ille te reficiat qui te fecit: si per te deterior efficeris, ille te recreet qui te creavit. Quomodo te autem recreet per Verbum, si male aliquid sentias de Verbo? Evangelista dicit: *In principio erat Verbum*; et tu dicis: In principio factum est Verbum. Ille: *Omnia per ipsum facta sunt*, dicit; et tu dicis quia et ipsum Verbum factum est. Poterat dicere Evangelista: In principio factum est Verbum: sed quid ait? *In principio erat Verbum*. Si erat, non est factum, ut ista omnia per ipsum fierent, et sine ipso nihil. Si ergo erat in principio Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: si non potes cogitare quid sit, differ ut crescas. Ille cibus est, accipe lac ut nutriaris, ut sis validus ad capiendum cibum.

364 Sane, fratres, quod sequitur: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*, videte ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est. Solent enim multi male intelligentes, sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil. Peccatum quidem non per ipsum factum est: et manifestum est, quia peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant. Et idolum non per Verbum factum est: habet quidem formam quamdam humanam, sed ipse homo per Verbum factus est; nam forma hominis in idolo, non per Verbum facta est; et scriptum est: *Scimus quia nihil est idolum* (I COR. VIII, 4).

Ergo ista non sunt facta per Verbum; sed quaecumque naturaliter facta sunt, quaecumque sunt in creaturis, omnia omnino quae fixa in coelo sunt, quae fulgent desuper, quae volitant sub coelo, et quae moventur in universa natura rerum, omnis omnino creatura: dicam planius, dicam, fratres, ut intelligatis, ab angelo usque ad vermiculum. Quid praeclearius angelo in creaturis? quid extremius vermiculo in creaturis? Per quem factus est angelus, per ipsum factus est et vermiculus: sed angelus dignus coelo, vermiculus terra. Qui creavit, ipse disposuit. Si poneret vermiculum in coelo, reprehenderes; si vellet Angelos nasci de putrescentibus carnibus, reprehenderes: et tamen prope hoc facit Deus, et non est reprehendus. Nam omnes homines de carne nascentes, quid sunt nisi vermes? et de vermicibus Angelos facit. Si enim ipse Dominus dicit: *Ego autem sum vermis, et non homo* (PSAL. XXI, 7); quis dubitat hoc dicere quod scriptum est et in Iob: *Quanto magis homo putredo, et filius hominis vermis?* (Iob XXV, 6) Primo dixit, *homo putredo*; et postea, *filius hominis vermis*: quia vermis de putredine nascitur, ideo *homo putredo*, et *filius hominis vermis*. Ecce quid fieri voluit propter te, illud quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Quare hoc factum est propter te? Ut sugeres, qui manducare non poteras. Omnino ergo, fratres, sic accipite: *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil*. Universa enim creatura per ipsum facta est, maior, minor: per ipsum facta sunt supera, infera; spiritalis, corporalis, per ipsum facta sunt. Nulla enim forma, nulla compages, nulla concordia partium, nulla qualescumque substantia, quae potest habere pondus, numerum, mensuram, nisi per illud Ver-

bum est, et ab illo Verbo creatore, cui dictum est: *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuisti* (SAP. XI, 21).

365 Nemo ergo vos fallat, quando forte taedium patimini ad muscas. Etenim aliqui derisi sunt a diabolo, et ad muscas capti sunt. Solent enim aucupes ponere in muscipula muscas, ut esurientes aves decipiant: sic et isti ad muscas a diabolo decepti sunt. Nam nescio quis taedium patiebatur ad muscas: invenit illum Manichaeus taedio affectum; et cum diceret se non posse pati muscas et odisse vehementer illas, statim ille: Quis fecit has? Et quia taedio affectus erat, et oderat illas, non ausus est dicere: Deus illas fecit; erat autem catholicus. Ille statim subiecit: Si Deus illas non fecit, quis illas fecit? Plane, ait ille, ego credo quia diabolus fecit muscas. Et ille statim: Si muscam diabolus fecit, sicut te video confiteri, quia prudenter intelligis, apem quis fecit, quae paulo amplior est musca? Non ausus ille est dicere quia Deus fecit apem, et muscam non fecit; quia res erat proxima. Ab ape duxit ad locustam, a locusta ad lacertum, a lacerto ad avem, ab ave duxit ad pecus, inde ad bovem, inde ad elephantem, postremo ad hominem; et persuasit homini quia non a Deo factus est homo. Ita ille miser cum taedium passus est ad muscas, musca factus est, quem diabolus possideret. Beelzebub quippe interpretari dicitur princeps muscarum: de quibus scriptum est: *Muscae mortuae exterminant oleum suavitatis* (ECCLE. X, 1).

366 Quid igitur, fratres? quare ista dixi? Claudite aures cordis vestri adversus dolos inimici; intelligite quia Deus fecit omnia, et in suis gradibus collocavit.

367 Quare autem patimur multa mala a creatura quam fecit Deus? Quia offendimus Deum? Numquid haec Angeli

patiuntur? Fortassis et nos in vita ista illa non timeremus. De poena tua peccatum tuum accusa, non iudicem. Nam propter superbiam instituit Deus istam creaturam minimam et abiectissimam, ut ipsa nos torqueret: ut cum superbus fuerit homo, et se iactaverit adversus Deum; et, cum sit mortalis, mortalem terruerit; et, cum sit homo proximum hominem non agnoverit; cum se crexerit, pulicibus subdatur. Quid est quod te inflas humana superbia? Homo tibi dixit convicium, et tumuisti, et iratus es; pulicibus resiste tu dormias: cognosce qui sis. Nam ut noveritis, fratres, propter superbiam nostram domandam creata ista, quae molesta nobis essent: populum Pharaonis superbum potuit Deus domare de ursis, de leonibus, de serpentibus; muscas et ranas illis imminis (EXOD. VIII, 6, 24), ut rebus vilissimis superbia domaretur.

368 Omnia ergo, fratres, omnia omnino per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Sed quomodo per ipsum facta sunt omnia? Quod factum est, in illo vita est. Potest enim sic dici: Quod factum est in illo, vita est: ergo totum vita est, si sic pronuntiaverimus. Quid enim non in illo factum est? Ipse est enim Sapientia Dei; et dicitur in Psalmo: *Omnia in Sapientia fecisti* (PSAL. CIII, 24). Si ergo Christus est Sapientia Dei, et Psalmus dicit: *Omnia in Sapientia fecisti*; omnia sicut per illum facta, ita in illo facta sunt. Si ergo omnia in illo, fratres charissimi, et quod in illo factum est, vita est; ergo et terra vita est, ergo et lignum vita est. Dicimus quidem lignum vitam, sed secundum intellectum lignum crucis, unde accepimus vitam. Ergo et lapis vita est. Inhonestum est sic intelligere, ne rursum nobis subrepat eadem sordidissima secta Manichaeorum, et dicat quia habet vitam lapidis, et habet animam paries, et resticula habet

animam, et lana et vestis. Solent enim delirantes dicere, et cum repressi fuerint et repulsi, quasi de Scripturis proferunt dicentes: Ut quid dictum est, *Quod factum est in illo, vita est*? Si enim omnia in ipso facta sunt, omnia vita sunt. Non te abducant: pronuntia sic: *Quod factum est*; hic subdistingue, et deinde infer, *in illo vita est*. Quid est hoc? Facta est terra, sed ipsa terra quae facta est, non est vita: est autem in ipsa Sapientia spiritualiter ratio quaedam qua terra facta est; haec vita est.

369 Quomodo possum, dicam Charitati vestrae. Faber facit arcam. Primo in arte habet arcam: si enim in arte arcam non haberet, unde illam fabricando proferret? Sed arca sic est in arte, ut non ipsa arca sit quae videtur oculis. In arte invisibiliter est, in opere visibiliter erit. Ecce facta est in opere; numquid destitit esse in arte? Et illa in opere facta est, et illa manet quae in arte est: nam potest illa arca putrescere, et iterum ex illa quae in arte est, alia fabricari. Attendite ergo arcam in arte, et arcam in opere. Arca in opere non est vita, arca in arte vita est; quia vivit anima artificis, ubi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo, fratres charissimi, quia Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia, antequam fabricet omnia; hinc quae fiunt per ipsam artem, non continuo vitasunt, sed quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides; est in arte terra: coelum vides; est in arte coelum: solem et lunam vides; sunt et ista in arte: sed foris corpora sunt, in arte vita sunt. Videte, si quo modo potestis; magna enim res dicta est: et si non a me magno, aut non per me magnum, tamen a magno. Non enim a me parvulo dicta sunt haec: sed ille non est parvulus ad quem respicio, ut dicam. Capiat quisque ut po-

test, in quantum potest: et qui non potest, nutriat cor, ut possit. Unde nutriat? De lacte nutriat, ut cibum perveniat. A Christo per carnem nato non recedat, donec perveniat ad Christum ab uno Patre natum, Verbum Deum apud Deum, per quod facta sunt omnia: quia illa vita est, quae in illo est lux hominum.

370 Hoc enim sequitur, *Et vita erat lux hominum*; et ex ipsa vita homines illuminantur. Pecora non illuminantur, quia pecora non habent rationales mentes quae possint videre sapientiam. Homo autem factus est ad imaginem Dei, habet rationalem mentem per quam possit percipere sapientiam. Ergo illa vita per quam facta sunt omnia, ipsa vita lux est: et non quorumque animalium, sed lux hominum. Unde paulo post dicit: *Erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ab illo lumine illuminatus est Ioannes Baptista; ab ipso et ipse Ioannes Evangelista. Ex ipso lumine plenus erat qui dixit: *Non sum ego Christus; sed qui post me venit, cuius non sum ego dignus corrigiam calcamenti solvere* (IOANN. I, 9, 20, 27). Ab illo lumine illuminatus erat qui dixit: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*. Ergo, illa vita lux est hominum.

371 Sed forte stulta corda adhuc capere istam lucem non possunt, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint. Non ideo cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt: ipsi enim propter peccata tenebrae sunt. *Et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt*. Ergo, fratres, quomodo homo positus in sole caecus, praesens est illi soli, sed ipse soli absens est; sic omnis stultus, omnis iniquus, omnis impius, caecus est corde. Praesens est sapientia, sed cum caeco

praesens est, oculis eius absens est: non quia ipsa illi absens est, sed quia ipse ab illa absens est. Quid ergo faciat iste? Mundet unde possit videri Deus. Quomodo si propterea videre non posset, quia sordidos et saucios oculos haberet, irruente pulvere vel pituita vel fumo, diceret illi medicus: Purga de oculo tuo quicquid mali est, ut possis videre lucem oculorum tuorum. Pulvis, pituita, fumus, peccata et iniquitates sunt; tolle inde ista omnia, et videbis sapientiam quae praesens est: quia Deus est ipsa sapientia; et dictum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* (MATH. V. 8).

Varia de Nativitate Domini, ex Benedicto XIV.
(DE FESTIS DOMINI, LIB. I. CAP. XVII. 57-68).

372 **F**ESTUM diem Nativitatis Christi consecratum non modo inter omnes celeberrimum esse, sed post Pascha et Pentecostem primum locum obtinere, omnes consentiunt. Observavit Martene, loc. cit., cap. 12, num. 2. Sacra idcirco Concilia gravissimas in eos Clericos edidisse sanctiones, qui in ea solemnitate ad Ecclesiam non venierint. Et Bailletus Hist. huius diei n. 14, abunde probat, etiam secularibus quibusdam legibus in honorem Natalis diei Iesu Christi decretum esse, ut de praeepto festi dies essent omnes, qui a Natali Christi die ad Epiphaniam decurrunt. Nunc vero duo tantum restant vetustae disciplinae monumenta, quae Solemnitatis magnitudinem declarant; quorum alterum, ut si Natalis Christi dies in diem cadat, quo caritativus usus est interdictus, is nihilominus vesci liceat *propter Festi excellentiam*, ut ait Honorius III, in cap. *Explicari* de Observantia Ieiuniorum; alterum, ut Natali Christi die quilibet Sacerdos ternas Missas celebret, ut videtur in *Can. Nocte Sancta*, ubi Glossa, de Consecr. Dist. 1, et cap. *Consuluit*, ubi idem Glossa, de celebratione Missarum. Tres Christi Domini ortus ternis hisce indicari Missis docet Pougetus Instit. Cathol., tom. 1, pag. 814, primum ab aeterno in sinu Patris; in tempore alterum in utero Virginis; tertium denique in Iustorum animis, in quibus innascitur, et habitat per Fidem. Ac ortum quidem Christi in tempore c Virginis utero representari docet in prima Missa; quae in Cathedralibus et Collegiatis

Ecclesiis post mediam noctem celebratur. Secunda vero Missa, quae in iisdem Ecclesiis illicescente celebratur aurora, recolit memoriam eius nuntii, quod ab Angelo Pastoribus de nato Christo allatum est, atque ita Christi Nativitatem in animis iustorum celebrari. Tertia denique, quae ante meridiem peragitur, aeternam Christi Nativitatem in sinu Patris commemorari, quae causae fuit ut epistola eius Missae ex cap. 1, Epistolae ad Hebraeos excerpta sit, ubi fuse divus Paulus de aeterna illa Nativitate disputat; Evangelium vero ex Ioannis cap. 1 legatur, ubi Evangelista velut Aquila in sublime sublatus, divinam a Patre generationem explicat.

Eiusmodi disciplinae trium in Natali Christi 373 celebrandarum Missarum auctor fuisse vulgo perhibetur Sanctus Telesphorus, in *Can. Nocte Sancta* de Cons. Dist. 1, ut videtur apud Vicecomitem l. 3, de antiquis Missae Ritibus c. 26. Sed in dubium revocatur, nunc textus ille sit Telesphori. Nam initium eius epistolae, unde est excerptus, ex epistola desumptum est Damasi ad Illyricos: *Credimus Sanctum Fidem vestram in Apostolorum eruditione laudatam*. Adde, quod Psalmos 25, 36 et 51, ibi laudari iuxta D. Hieron. versionem, observat Pagius in vita Telesphori. Satis praeterea comperitur est, quam multa viri docti obicerent adversus Ante-Siricianas Epistolas decretales, quominus genuinae habeantur. Quamobrem alio confugiendum est, ut fontem illum reperiamus, unde verisimile sit eiusmodi disciplinam esse derivatam. Florentinius cit., exerc. 2, pag. 203, ita in rem nostram scribit: *Angetur dubitatio, an Epistola S. Telesphori Papae genuina sit. Iam docti viri non desunt, qui adductam decretalem epistolam illius summi Pontificis germanam esse non facile consentiunt*.

Exploratum est, vetustissimis temporibus plures 374 ab eodem Sacerdote Missas celebrari in aliquibus solemnitatibus consuevisse. Ex vetustis monumentis ostendit Cardinalis Bona, Rerum Liturgic., lib. 1, cap. 18, num. 6, morem fuisse, ut Kalendis Ianuarii binae celebrarentur Missae; altera de Octava Nativitatis; altera de B. Virgine; ternas itidem Missas Feria Quinta in Coena Domini probat celebratas esse; alteram ad reconciliandos poenitentes; alteram ad Sacrum Chrisma conficiendum; tertiam denique, quae ad diei solemnitatem pertinet: ac binas itidem Missas in Ascensionis tum Pervigilio, tum Festivitate.

Si quod autem desiderat exemplum praeter ea, quae Cardinalis Bona attulit, ac praeter illud quod Altaserra in Commentar. ad cap. *Consuluit* de Celebrat. Missarum produxit ex ordine Romano, Amalario, et vulgato Aleuino, ternas scilicet Missas

as ab eodem Sacerdote celebrari consuevisse in die Nativitatis S. Ioannis Baptistae, diebus Romanum quondam Pontificem solitum fuisse die 29 Iunii Sanctis Apostolis Petro et Paulo consecrata duas Missas celebrare, alteram in Vaticana, alteram in S. Pauli Basilica, ut ex Prudentio IV saeculi Poeta apparet, Peri-Steph. hymn. 12:

*Aspice per bifidas plebs Romula funditur plateas:
Lux in duobus fervet una Festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
Et his, et illis perfruamur hymnis.
Ibimus ulterius, qua fertur via Pontis Hadriani;
Laevam deinde fluminis petemus.
Transiberina prius solvit sacra praevigil Sacerdos;
Mox hac recurrit, duplicatque vota.*

376 Vide Iosephum Vicecomitem de antiquis Missae Ritibus, lib. 3, cap. 28, ubi ab eodem Sacerdote ostendit in diebus Paschatis, et Festivitate SS. Petri et Pauli et Ioannis Apostoli, Ioannis Baptistae, Laurentii, Marci et Victoris plures celebrari Missas consuevisse.

377 Cum itaque mos esset, ut ab eodem Sacerdote in aliquibus solemnitatibus eodem die plures Missae celebrarentur, nonnemo existimavit trium in Natali Christi die celebrandarum Missarum morem vetustae disciplinae vestigium esse. Quaerit Puge-tus: *Cur in Festo Nativitatis Christi ter Missarum solennia celebrantur a quolibet Sacerdote?* atque ita respondet: *Hoc vestigium est antiqui Ritibus, quo diebus sollemnibus plures ab eodem Sacerdote Missae agebantur*. Testatur S. Gregorius, die Christi Natali ideo sermonem suum in compendium conferre, quia, inquit, *hodie ter Missarum solennia celebrantur sumus*. Notatum reperimus in Ordinibus Romanis, Summum Pontificem in Natali Christi die tres celebrare solitum Missas, primam in Basilica Liberiana, alteram in S. Anastasiae aede, cuius in hac die, ut diximus, memoria recollitur; tertiam denique in Vaticana Basilica. Dum quaedam ex tribus hisce Missis celebraretur, tertium illud ac nefarium a Cencio Romano Cive perpetratum est scelus, de quo ita Abbas Uspersigenis: *Cencius quidam Civis Romanus ex fautoribus Henrici, in Nativitate Domini Gregorium Papam in galli cantu Missam celebrantem de Altari, graviter vulneratum rapuit, et in Turri sua in custodia misit*. De aliqua itidem ex his Missis loquitur Albertus Argentinensis in Chronico: *In die quoque Sancto Nativitatis Domini, Rex Carolus communicatus fuit, legitime in Missa galli cantu, alta voce, habens in manu evaginatum gladium, Evangelium: Exiit Edictum a Cesare Augusto*. Et apud Martene cit., cap. 19, n. 10, ea caeremonia

describitur, qua Imperator, seu Rex aliquis, qui in Saeculo Pontificio Officio Lectionem manu tenens et vibrans quintam Officii Lectionem canebat. Nunc vero in nocte Nativitatis Domini Summus Pontifex dualem pileum et gladium benedicti, qui vel praesenti alicui Principi viro, vel absenti domo datur, ut videre est lib. 1 Sacrar. Caerem., c. 6. De ea caeremonia tractatum scripsit Theophylus Raynaudus tom. 10.

In die Christi Natali mos erat in aliis Ecclesiis, praesertim Galliae, ut binae ab eodem Sacerdote Missae celebrarentur. Eadem vero disciplina, quae Romae tres Missas Summus Pontifex celebrabat, etsi ex iis una celebraretur, propterea quod Romae sacra esset Aedes in S. Anastasiae honorem Deo dicata, Roma in Gallias ceterasque regiones traducta est, cum Romano Ordo Caroli Magni iussu receptus est. Et quamquam primo ea disciplina ad Episcopos dumtaxat pertineret, paulatim ad omnes Sacerdotes ternas illi consuevisse Missas celebrare; non tamen, ut quae praesens consuetudo est, nullo intervallo temporis interiecto altera alteram exciperet, sed prima celebraretur media nocte, secunda illicescente aurora, tertia orto iam sole, quod etiam nunc in Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis usurpatur.

Certum est, quod iam supra diximus, Christum 379 Iesum in incem editum esse 25 Decembris die, et nihilominus in quibusdam Orientalibus Ecclesiis morem fuisse Solemnitatem hanc sexta Ianuarii die celebrandi una cum Epiphania. In occidentali Ecclesia constans, et perpetua fuit consuetudo, ut 25 die Decembris ea Festivitas celebraretur. Vid. Martene loc. cit., cap. 12. Cum autem nunc Orientalis Ecclesia eodem quo Occidentalis die Nativitatem Christi celebrat, quaeritur quonam tandem tempore in hoc utraque Ecclesia conveniret. Extat in Auctario ad Biblioth. PP., tom. 2, pag. 311, quaedam Epistola Ioannis Archiepiscopi Niceni de die Christi Natali, quam c Graeco in Latium sermonem conversam edidit, notisque illustravit Combesius. Ea in Epistola narrat Ioannes, Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum S. Iulio Romano Pontifici scripsisse, sibi omnino non licere tres tribus in diversis locis celebrare Festivitates, quae in Epiphaniae die agebantur, et quibus erat etiam Solemnitas Natalis Domini; rem hanc Romae probe fuisse examinatum; tandem in hunc modum, inquit, *Illius Romanus Patriarcha menses Hebraeorum, atque Romanorum composuit, a quo tempore*

coepit Romana Ecclesia laetis gaudiis celebrare Nativitatem Salvatoris die 25 Decembris, tradiditque celebrandum universis Ecclesiis. Pergit Ioannes narrans, S. Basilium iussisse, Gregorium Nazianzenum in Constantinopolitano quodam concilio praecipere, ut 25 Decembris Nativitas Christi celebraretur; huic parere decreto quosdam detrectasse, ac sub Arcadio, denique, et Honorio a Ioanne Chrysostomo, et Epiphania, qui in cam rem Cypro accessit fuerat, definitum esse, ut Nativitas Christi 25 Decembris celebraretur, cui definitioni ceteros omnes Patriarchas subscripsisse.

380 Recentem fatetur hanc epistolam Combesius, et fabularum plenam; neque id dissimulat Pagius in vita S. Iulii Papae num. 13, sed negat fabulosum esse quod in ea Epistola traditur de Solemnitate Natalis diei Christi Domini, quod eiusdem rei testes sint uterque Gregorius, Nyssenus, et Nazianzenus, et Ioannes Chrysostomus. Cum eo sentit idem in citata Exercit. 2. Florentinus pag. 261. Verum in ea Epistola scribit eius Auctor, non modo Iulium Pontificem iussisse Nativitatem Domini 25 die Decembris in Oriente celebrari, sed eius tempore Romanam Ecclesiam coepisse eodem die Festivitatem illam agere. Id vero tanquam fabulosum et commentitium explodit Serry, Exerc. 37, num. 3: *Quare fatidica fabellae arguitur, quod Ioannes Nyssenus in vulgata per Combesium Epistola contestatur, Nativitatem Christi diem Romae sub Iulio dimittat Summo Pontifice ad 25 Decembris definitum esse, Patribus diem hanc ab antiquo definitum constanter affirmantibus.*

381 Quoniam igitur qui eam epistolam a Graeco in Latinum convertit Combesius, notisque locupletavit, eam suspectae fidei arguit, liberent nos illius sententiae subscribimus: cum praesertim epistola Cyrillum quendam Ierosolymitanum Episcopum commemorat ad Iulium Papam dedisse litteras, quae Summo Pontifici occasionem praebuerint condendi eius decreti; fabulosum enim id omnino esse oportet, cum Petrus Constantius tom. I. *Epistolarum Romanorum Pontificum*, in appendice, pag. 86, apertissime demonstraverit, nullum sub S. Iulio Papa fuisse Cyrillum Hierosolymorum Episcopum.

382 Eorum etiam sententiae libentissime subscribimus, qui ex vetustissima traditione multo ante S. Iulium Papam existimant in Ecclesia Occidentali Nativitatis Domini solemnitatem die 25 Decembris celebratam esse. Querit D. Augustinus epist. 55 alias 119, num. 2, tom. 2, op. edit. Paris. col. 128: *Cur anniversarius dies celebrandae Domini: cas Passivus non ad eundem redat anni diem, sicut dies, qui traditur natus? atque ita respondet: Oportet novis diem Nativitatis Domini non in Sacramento celebrari, sed tantum in memoriam*

revocari, quod natus sit, ac per hoc nihil opus erat nisi revolutione anni diem, quo ipsa res acta est, festa devotione signari. Et Chrysostomus loco, quem mox afferemus, testatur Romanis multo ante et ex antiqua traditione disciplinam esse, Nativitatem Christi 25 Decembris die celebrandi. Quod itaque aiunt Augustinus traditur, et Chrysostomus ex antiqua traditione satis id loculenter ostendit, multo ante Sanctum Iulium Pontificem in Ecclesia Occidentali ea quam supra diximus, die celebratam esse Christi Domini Nativitatem, falsumque esse, eam diem ab Iulio huic Festivitati fuisse praefinitam.

Quapropter firmis tutisque documentis innixi Orientalem Ecclesiam quarto saeculo ad Romanae Ecclesiae disciplinam arbitramur se conformasse in celebranda Nativitate Domini die 25 Decembris, quam proinde Epiphania scilicet, quae festivas 6 Ianuarii die peragitur. Vetera quaedam editum monumenta Zaccagnus Bibliothecae Vaticanae Praefectus, inter quae binae sunt Gregorii Nysseni Orationes. In altera earum ait Sanctus Doctor morem fuisse in Ecclesia Cappadociae, ut post S. Stephani Festivitate Sanctorum Apostolorum solemnitate celebraretur Petri, Iacobi, Ioannis, et Pauli; quod etiam tradit in Oratione funebri Sancti Basilii fratris sui; ubi illud addit post eam Festivitatem celebrari S. Basilii solemnitatem, quae a Graecis Kalendis Ianuarii peragitur. In hac ipsa Oratione ita de solemnitate Natalis diei Christi Domini loquitur: *Sed primam celebritatem non cum aliis non numerat. Nam quae propter divinam Unitatis Filii apparitionem per partum Virginis Festivitas instituta est, ea non simpliciter sancta celebrata est, sed sancta sanctorum, et celebritas celebratum. Igitur eas, quae hanc consequuntur, cum numeramus.* Ad S. Stephani deinde, ceteraque Festivitates sermonem suum convertit: ex quo luculenter apparet, saeculo quarto Natalem Christi diem 25 Decembris celebratam esse. Nativitatis Festivitatem a solemnitate adorationis Magorum aperte seungit Gregorius Nazianzenus Orat. 39, in Epiphania pag. 632. *Ac Christi quidem Nativitas apta solemnitate prius, tum a Festi Duce et auspice, tum a vobis, atque adeo ab omnibus, tam qui in mundo versantur, quam qui in mundo subsiliores sunt, celebrata est, etc. Nunc vero alia Christi actio, aliudque mysterium sequitur.* Cum igitur S. Doctor Festivitatem Natalis Christi ab Epiphania solemnitate seungat, bene inde conici videtur, in eius Ecclesia ea tempestate Natalis Christi diei festivitatem non amplius cum Epiphania, sed hanc quidem sexta Ianuarii, illam vero Decembris vigesima quinta die celebrari consuevisse. S. denique Chrysostomus primo Sacerdotii sui anno

IN FESTO S. STEPHANI

PROMOTARTYRIS

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM. Matth. XXIII, 34-39.

In illo tempore: Dicebat Iesus scribis et pharisaeis: Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occiditis, et crucifigitis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequimini de civitate in civitatem:

35. ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare.

36. Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam.

37. Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluit?

38. Ecce relinquatur vobis domus vestra deserta.

39. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTHAEI LIB. 4, CAP. 23.

Hoc quod antea dixeramus, *Implete mensuram patrum vestrorum*, ad personam Domini pertinere, eo quod occidendus esset ab eis, potest et ad discipulos eius referri, de quibus nunc dicit: *Ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occiditis, et crucifigitis, et flagellabitis in synagogis vestris, et persequimini de civitate in civitatem, ut impleatis mensuram patrum vestrorum.* Simulque observa iuxta Apostolum scribentem ad Corinthios (I Cor. xii, 1, 8 et seq.), varia esse dona discipulorum Christi; alios prophetas, qui ventura praedicant; alios sapientes, qui novitent quando debeant proferre sermonem; alios scribas in lege doctissimos, ex quibus lapidatus est Stephanus (Act. vii, 58), Paulus occisus, crucifixus Petrus, flagellati in Actibus apostolorum discipuli (Act. v, 40): et persecuti eos sunt de civitate in civitatem: expellentes de Iudaea: ut ad gentium populum transmigrarent.

qui fuit 386 a Christo nato, Orationem habuit in Antiochena Ecclesia ipso 25 die Decembris qui sermo est 35 de Christi Nativitate, tom. 5, pag. 46, et supernice edit. tom. 2, pag. 364. In eo sermone nondum ait decimum annum expletum esse ex quo comperit habuerit, Christi Nativitatem 25 die Decembris esse celebrandam, quod ab initio Occidentali Ecclesiae cognitum erat. *Nondum decimus annus est, ex quo hic dies manifeste nobis innotuit, et ab exordio istis, qui in Occidente habitant cognitis.* Profectam deinde a Romanis eam disciplinam dicit, quam ex veteri Traditione servaverint. *Romani multo ante et ex antiqua Traditione ipsum celebrantes, ad nos usque notitiam illum transmiserunt.* Ex hoc Chrysostomi sermone colligitur, in Ecclesiis Antiochena Patriarchae subiectis ante annum 386 viguisse consuetudinem Egyptiorum eodem die Christi Epiphaniae et Nativitatem celebrandi, atque eo ipso anno alteram ab altera esse scunntam, actum primum 25 die Decembris solemnitatem Nativitatis Domini esse praerantam.

384 Atque ea sunt, quae de Festo Natalis diei Iesu Christi huc conferenda esse existimavimus. Nicephorus Hist. lib. 17, cap. 28, pag. 799, eius Solemnitatis auctorem fuisse tradit Imperatorem Iustinum. *Idem Imperator (Iustinus) tum primum Servatoris exceptionem toto Orbe terrarum festo die honorari instituit, sicut Iustinus de Sancta Christi Nativitate fecit.* Id vero quantum ab re ipsa absit et veritate, ipsamet ostendunt, quae supra attulimus, documenta. Sed illud fortasse intelligit Nicephorus, Iustinum per suas leges eorum negligentiam emendasse, qui tantam Solemnitatem non, ut par erat, celebrabant, ut videre est apud Bellarminum tom. 2, lib. 3, cap. 16, §. *Ad obiectionem;* et apud Suarez de Religione tom. 1, lib. 2, cap. 3, num. 6. In Occidentalem Ecclesiam pia fuit inducta consuetudo, ut Natali Domini die Mysterium representarent Infantis Iesu in Praesepio, et quod vulgo dicitur, ut Praesepe conciator in templis, in Religiosis adhibet, atque etiam in domibus privatorum. Gorius in opere saepe citat. num. 17, pie huius consuetudinis originem ad saeculum refert decimum tertium, cum S. Franciscus Praesepe aedificavit in Sylva Graeci, ubi in illa sacratissima nocte Nascens Domino dicata nobilis quidam vir eum vidit divinum periculum in ulnis gestantem.

386 *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zachariae filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare. Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam.* De Abel nulla est ambiguitas, quin is sit quem Cain frater eius occiderit (GEN. IV, 8). Iustus autem non solum ex Domini nunc sententia, sed ex Genesis testimonio comprobatur, ubi accepta eius a Deo narrantur munera (Ibid. 5). Quae- rimus quis iste sit Zacharias, filius Barachiae, quia multos legitur Zacharias. Et ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum est: *Quem occidistis inter templum et altare.* In diversis diversa legi, et debet singulorum opiniones ponere. Alii Zachariam filium Barachiae dicunt, qui in duodecim prophetis undecimus est, patrisque in eo nomen consentiat; sed ubi occisus sit inter templum et altare, Scriptura non loquitur; maxime cum temporibus eius vix ruinae templi fuerint. Alii Zachariam patrem Ioannis intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum omnibus approbantes, quod propterea occisus sit, quia Salvatoris praedicavit adventum. Hoc quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Alii istum volunt Zachariam, qui occisus est a Ioas rege Iudae inter templum et altare, sicut Regum narrat historia. Sed observandum, quod ille Zacharias non sit filius Barachiae, sed filius Ioiaedae sacerdotis. Unde et Scriptura refert: *Non fuit recordatus Ioas patris eius Ioiaedae, quia sibi fecisset bona* (II PARAL. XXIV, 22). Cum ergo et Zachariam teneamus, et occasionis consentiat locus, quaerimus quare Barachiae dicatur filius, et non Ioiaedae? *Barachia* lingua nostra *benedictus Domini* dicitur: et sacerdotis Ioiaedae *iustitia*, Hebraeo sermone demon-

stratur. In Evangelio quo utuntur Nazaraeni, pro *filio Barachiae, filium Ioiaedae* reperimus scriptum. Simpliciores fratres inter ruinas templi et altaris, sive in portarum exitibus, quae Siloam ducunt, rubra saxa monstrantes, Zachariae sanguine putant esse polluta. Non condemnamus errorem, qui de odio Iudaeorum, et fidei pietate descendit. Dicamus breviter quare sanguis Abel iusti, usque ad Zachariam filium Barachiae ab illa generatione requiratur, cum neutrum eorum occiderit. Regula Scripturarum est, duas generationes ponere, bonorum vel malorum, hoc est, singulorum singulas. De bonis sumamus exempla: *Quis ascendit in montem Domini? aut quis requiescet in monte sancto eius?* (PSAL. XXXIII, 3). Cumque plures qui ascensuri sunt in montem Domini, descripsisset, qui diversis fuere aetatibus, postea infert: *Haec est generatio quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Iacob.* Et in alio loco de omnibus sanctis: *Generatio iustorum benedictur* (PSAL. CXI, 2). De malis vero, ut in praesenti loco: *Generatio viperarum* (Ibid. 33). Et: *Requirentur omnia a generatione ista.* Et in Ezechiel, cum peccata terrae descripsisset, sermo propheticus adiecit: *Si Noe, et Iob, et Daniel, tibi fuerint inventi, non dimittam peccata terrae illi* (EZECH. XIV, 14): Omnes iustos qui similes forent virtutibus eorum per Noe et Iob et Daniel volens intelligi. Ergo et isti qui similia Cain et Ioas contra apostolos gesserint, de una generatione esse referuntur.

387 *Ierusalem, Ierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti!* Ierusalem, non saxa et aedificia civitatis, sed habitatores vocat, quam plangit patris affectu, sicut et in alio loco legitur, quod videns eam

fleverit (LUC. XIX, 41). In eo autem quod dicit: *Quoties volui congregare filios tuos*, omnes retro prophetas a se missos esse testatur. Gallinae quoque similitudinem congregantis sub alas pullos suos, in cantico Deuteronomii legitur: *Sicut aquila protegit nidum suum, et super pullos suos desideravit, expandens alas suas suscepit et tulit super pennas suas* (DEUT. XXXII, 11).

388 *Ecce reliquetur vobis domus vestra deserta.* Hoc ipsum ex persona Ieremiae iam ante dixerat: *Reliqui domum meam, dimisi haereditatem meam: facta est mihi haereditas mea quasi spelunca hyaenae* (IEREM. XII, 7, 8). Desertam Iudaeorum domum, id est, templum illud, quod fulgebatur augustius, oculis comprobamus: quia habitatorem Christum perdidit, et haereditatem praeripere gestiens, occidit haereditatem.

389 *Dico enim vobis: non me videbitis a modo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Ad Ierusalem loquitur, et ad populum Iudaeorum. Versiculum autem istum, quo et parvuli atque lactentes in ingressu Ierusalem Domini Salvatoris usi sunt, quando dixerunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis* (MATTH. XXI, 9), sumpsit de centesimo decimo septimo psalmo (Ibid., 26), qui manifeste de adventu Domini scriptus est. Et quod dicit, hoc vult intelligi: *Nisi poenitentiam egeritis* (LUC. XIII, 3), et confessi fueritis ipsum me esse, de quo prophetae cecinerunt, Filium omnipotentis Patris, meam faciem non videbitis. Habent Iudaei datum sibi tempus poenitentiae; confiteantur benedictum qui venit in nomine Domini, et Christi ora conspiciant.

Varia de S. Stephano, ex S. Bonaventura.

(SERMO I DE S. STEPHANO).

390 **C**ONSUETUDO magnorum est alios in magnis festis vocare ad convivium, et si hoc fiat ad ostensionem charitatis, laudabile (est); et ideo Christus noluit solus esse in convivio iuenduntis; vocavit familiares, amicos (et) servos, ut participes essent gaudii. Christus in nativitate fecit convivium nuptiale. *In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo*, etc., scilicet quando per indissolubilem formam processit de utero virginali, et tunc invitavit ad nuptias milites suos. Habuit autem milites parvulos, qui infantili aetate pro ipso sensu passi, et Innocentes; habuit etiam militem iuvenem, qui in flore iuventutis est passus; habuit iterum militem senem, scilicet Ioannem, qui centenarius in dolium est missus; et omnes illi fuerunt innocentes et Martyres. Beatus Stephanus Martyr fuit affectu et effectus; Ioannes, affectus, non effectus, quia non ex martyrio est mortuus; Innocentes autem fuerunt Martyres effectus tantum, quia non habuerunt usum liberi arbitrii. Istos vocavit Dominus specialiter ad nuptias suas; modo autem vocat omnes sine acceptatione personarum. Istos milites fecit Dominus sedere in convivio suo secundum ordinem; magis enim esse Martyrem affectu et effectum quam affectu tantum. Ideo beatus Stephanus immediate fuit positus post diem Nativitatis Domini; Ioannes tertio loco, quia fuit Martyr affectus; et plus est esse Martyrem affectu quam effectus; Innocentes effectus tantum, quia non habuerunt usum liberi arbitrii, et ideo quarto loco posuit Innocentes, et postea beatum Thoman modernum temporis, qui fuit renovatio martyrii. Unde vere impletum est illud Ioannis primo: *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*, etc. Sequitur: *De plenitudine eius nos omnes accepimus*, scilicet infantes, iuvenes et senes; quidquid enim gratiae est in nobis, totum est a Verbo incarnato.

Ex Gracianis.

(COMMENT. IN BREVE. ROM., 224).

391 **O**MO postulare videbatur, ut I. C. Natali, tamquam primo, ac potissimo Christianae religionis festo celebrato, inter Sanctorum solemnia primum festorum omnium collocaretur, nempe festum primi Martyris, qui propter Iesum Christum passus est; hinc in Oriente ponitur festum S. Stephani statim post diem Natalem D. in sermonibus S. Gregorii Nysseni, et Asterii Aemaseae, auctorum quarti saeculi, cum vero auctores isti uno prope vixerint sacculo ante inventionem Reliquiarum S. Stephani, aperte patet, non Reliquias quidem oc-

casione praebuisse festo, sed primi Martyris ordinem, ac dignitatem. S. Gregorius Nyssenus aliquid ad heri, hodie, ut ostendat, Discipuli festum statim succedere festo Magistri: *Quam incunda laetitiae successio: ecce diem festum ex die festo, et gratiam pro gratia accipimus; heri nos Dominus universorum passit, hodie Domini imitator; ille pro nobis hominem induens, hic pro illo hominem exuens; ille pro nobis fasciis involutus, hic pro illo lapidatus.* S. Asterius, Episcopus Amasaeae urbis Ponti de hoc loquebatur eodem pacto in Sermone in honorem D. Stephani, cuius meminit Photius: diu latuit hic sermo sub nomine Procli Constantiopolitani: verum post Photii testimonium Asterio potius adscribendus est: observat igitur, festum S. Stephani succedere festo Nativitatis Iesu Christi: *Festus dies festum diem excipit: Sollemnis celebratio sollemnem occupat festivitatem; Domini Nativitatem diem servi honor continuus premit; heri Salvatorem mundi natum esse didicimus; hodie strenuum pugilem cernimus pro illo lapidibus obrutum;* quo quidem abunde significatur, huius Sancti festum a primis usque temporibus in Ecclesia fuisse celebre. In Constitutionibus Apostolicis distinguitur a generali Festo, quod fiebat de Communi Martyrum: *In die Stephani Protomartyris vocent: in numero Martyrum inventus est solus, cui festum proprium ac peculiare tribuatur: et de Sancto qui soli Hierosolymae, in qua martyrium subit, convenire videbatur, brevi temporis spatio factum est festum cunctis Ecclesiae commune, propter singularem venerationem illi, quam matris loco colebant, habitam.*

392 Merito igitur credendum est, S. Stephanum fuisse primum et sanctis, cui festum in Ecclesia consecratum fuerit, quoniam hic cultus incepit a Martyribus, quorum ipse fuit primus; sed quoniam scriptura non poterat dies mortis eius, Hierosolymae, ubi martyrium perpassus fuerat, statim coeptum est post diem Natalem I. C. celebrari festum S. Stephani Protomartyris, stetitque in Oriente diu post Theophaniam die 7 Januarii, usque ad translationem Reliquiarum quae die 26 Decembris facta est; haberi autem in Occidente coepti post diem Natalem, unde in Orientem transit, quando Natalis ab Epiphania seiunctus fuit, statumque festum Nativitatis I. C. ad diem 25 Decembris. Reliquiarum S. Stephani narratio a Presbytero Luciano scripta signat expressè diem 26 Decembris, quia Hierosolymam fuere translate, non vero 3 Augusti, qua die Romae festum earum Inventionis celebratur; sed forsitan translatio aliqua Reliquiarum S. Stephani ea die facta Romae Inventionis nomine insignita est.

393 Festum hoc magna cum solemnitate celebra-

tur; in plerisque Ecclesiis post Vesperas Nativitatis dicebantur Vesperae S. Stephani, quarum exordium erat responsorium, tum hymnus, deinde *Magnificat*, antiphona, et oratio. In quibusdam cantor ponebat baculum, qui sumebatur a Diacono ad ordinandum Chorum; hoc enim die officii faciendi munus Diaconis incumbat. Apud Ioannem Abrincensem legimus, quod Diaconi cappas ferebant, cantabant antiphonas, responsoria et lectiones; quod Evangelium Matutini canebatur a Diacono, dalmatica induto, cum candelabro et incenso, sicut in Missa; quod duo Diaconi in dalmatica Chorum agerent, *Te Deum* praecinerent ac incensarent Altare; quod canerent etiam Epistolam cum dalmatica, quia huius S. Martyrium in Epistola descriptum est.

IN FESTO S. IOANNIS

APOSTOLI ET EVANGELISTAE

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.
Ioann. XXI, 19-24.

In illo tempore: Dixit Iesus Petro: Sequere me, 20. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius, et dixit: Domine, quis est qui tradet te?

21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid?

22. Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

23. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur; sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec: et scimus, quia verum est testimonium eius.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG., TRACT. 124.

Non parva quaestio est, cur apostolo Petro, quando se tertio manifestavit discipulis, dixerit Dominus: *Sequere me*; de apostolo autem Iohanne: *Sic eum volo manere donec veniam; quid ad te?* Huic quaestioni, quantum Dominus ipse donaverit, sive pertractandae, sive solvendae sermonem novissimum huius operis impendimus. Cum ergo praenuntiasset Dominus Petro, qua morte clarificaturus esset Deum, dicit ei: *Sequere me. Conversus Petrus*

*vidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem: qui et recubuit in coena super pectus eius, et dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Sic eum volo manere donec veniam; quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur; sed: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Ecce quousque in hoc Evangelio extenditur quaestio, quae sua profunditate non mediocriter mentem scrutantis exercet. Cur enim dicitur Petro: *Sequere me*, nec dicitur ceteris qui simul aderant? Et profecto eum sicut magistrum discipuli sequebantur. Sed si ad passionem intelligendum est, numquid solus pro christiana veritate passus est Petrus? Nonne ibi erat in illis septem alius filius Zebedaei frater Ioannis, qui post eius ascensionem, ab Herode manifestatur occisus? (ACT. XII, 2). Verum aliquis dixerit, quoniam Iacobus non est crucifixus, merito dictum esse Petro, *Sequere me*, qui non solum mortem, sed etiam mortem crucis, sicut Christus, expertus est. Sit hoc, si nihil aliud quod sit convenientius potuerit inveniri. Cur ergo de Iohanne dictum est: *Sic eum volo manere donec veniam; quid ad te?* et repetitum est: *Tu me sequere*; tamquam ille ideo non sequeretur, quoniam eum manere voluit donec veniat? Quis facile aliud dictum esse credat, quam quod fratres crederant qui tunc erant, eo quod scilicet non esset discipulus ille moriturus, sed donec Iesus veniret, ista maneret in vita? Sed haec opinionem Iohannes ipse abstulit, non hoc dixisse Dominum aperta contradictione declarans. Cur enim subiungeret: *Non dixit Iesus: Non moritur*, nisi ne hominum cordibus quod falsum fuerat inhaereret?*

Sed cui placet, adhuc resistat; et dicat 395 verum esse quod ait Iohannes, non dixisse Dominum quod discipulus ille non moritur, sed hoc tamen significatum esse talibus verbis, quia eum dixisse narravit; et asserat apostolum Ioannem vivere, atque in illo sepulcro eius quod est apud Ephesum, dormire eum potius quam mortuum iacere contendat. Assumat in argumentum, quod illic terra sensim scateret, et quasi ebullire perhibetur; atque hoc eius anhelitu fie i, sive constanter sive pertinaciter asseveret. Non enim possunt deesse qui credant, si non desunt qui etiam Moysen asserant vivere; quia scriptum est eius sepulcrum non inveniri (DEUT. XXXIV, 6), et apparuit cum Domino in monte, ubi et Elias fuit (MATTH. XVII, 3), quem mortuum legimus non esse, sed raptum (IV REG. II, 11). Quasi Moysi corpus non potuerit alicubi sic abscondi, ut prorsus homines lateret ubi esset, atque inde ad horam divinitus excitari, quando cum Christo Elias et ipse sunt visi: sicut ad horam multa sanctorum corpora surrexerunt, quando passus est Christus, et post eius resurrectionem apparuerunt multis in sancta, sicut scriptum est, civitate (MATTH. XXVII, 52, 53). Sed tamen ut dicere coeperam, si quidam Moysen mortuum negant, quem Scriptura ipsa, ubi sepulcrum eius nusquam inveniri legimus, mortuum tamen esse sine ulla ambiguitate testatur; quanto magis Iohannes ex istorum occasione verborum ubi Dominus ait: *Sic eum volo manere donec venio*, creditur vivus dormire sub terra? Quem tradunt etiam (quod in quibusdam Scripturis quamvis apocryphis reperitur), quando sibi fieri iussit sepulcrum, incolumem fuisse praesentem; eoque effosso et diligentissime praeparato, ibi se tamquam in lectulo collocasse, statimque eum esse defun-

ctum: ut autem isti putant, qui haec verba Domini sic intelligunt, non defunctum, sed defuncto similem cubuisse; et cum mortuus putaretur, sepultum fuisse dormientem; et donec Christus veniat sic manere, suamque vitam scaturigine pulveris indicare: qui pulvis creditur, ut ab imo ad superficiem tumuli ascendat, flatu quiescentis impelli. Huic opinioni supervacaneum existimo reluctari. Viderint enim qui locum sciunt, utrum hoc ibi faciat vel patiatur terra quod dicitur; quia et revera non a levis hominibus id audivimus.

396 Interim cedamus opinioni, quam certis documentis refellere non valeamus, ne rursus aliud quod a nobis quaeratur exurgat. Cur super humatum mortuum ipsa humus quodammodo vivere ac spirare videatur. Sed numquid hinc tanta ista solvitur quaestio, si magno miraculo, qualia potest facere Omnipotens, tamdiu vivum corpus in sopore sub terra est, donec veniat terminus saeculi? Quin imo fit amplior et difficilior, cur discipulo Iesus, quem diligebat prae ceteris, in tantum ut super pectus eius discumbere mereretur, pro magno munere longum in corpore donaverit somnum: cum beatum Petrum per ingentem martyrii gloriam, ab onere ipsius corporis solverit, eique concesserit quod apostolus Paulus se concupisse dixit, et scripsit: *Dissolvi et esse cum Christo* (PHILIP. I, 23). Si autem quod magis creditur, ideo sanctus Ioannes ait, non dixisse Dominum: *Non moritur*, ne illis verbis quae dixit, hoc voluisse intelligi putaretur; corpusque eius in sepulchro eius exanime sicut aliorum mortuorum iacet: restat ut si vere ibi fit quod sparsit fama de terra, quae subinde ablata succrescit, aut ideo fiat ut eo modo commendetur pretiosa mors eius, quoniam non eam commendat martyrium (non enim eum

pro fide Christi persecutor occidit), aut propter aliquid aliud quod nos latet. Manet tamen quaestio cur dixerit Dominus de homine morituro: *Sic eum volo manere donec veniam*.

397 Illud etiam in his duobus apostolis Petro et Ioanne quem non moveat ad quaerendum, cur Ioannem plus dilexerit Dominus, cum ipsum Dominum plus dilexerit Petrus? Ubi cumque enim se commemorat Ioannes, ut nomine suo tacito ipse possit intelligi, hoc addit quod eum diligebat Iesus, quasi solum diligeret, ut hoc signo discerneret a ceteris, quos utique omnes diligebat: quid ergo, nisi amplius se dilectum, cum hoc diceret, volebat intelligi? quod absit ut mendaciter diceret. Quod autem maius dare potuit Iesus maioris erga eum suae dilectionis indicium, quam ut homo cum ceteris discipulis suis socius tantae salutis, solus tamen discubuerit super pectus ipsius Salvatoris? Porro quod apostolus Petrus, plus aliis dilexit Christum, possunt quidem documenta multa proferri: sed ut longe in alia non eamus ipsius tertiae manifestationis Domini paulo superiore lectione, quae istam praecedat, satis evidenter apparet, ubi interrogans eum, dicit: *Diligis me plus his?* Quod utique sciebat, et tamen interrogabat ut etiam nos qui legimus Evangelium, amorem Petri erga Dominum, et illo interrogante et isto respondente nossemus. Quod autem in eo quod respondit Petrus: *Amo te*, non addidit, plus his, hoc respondit quod de seipso sciebat. Non enim quantum ab alio quolibet diligeretur scire poterat, qui cor alterius videre non poterat. Sed tamen superioribus verbis dicendo: *Etiam, Domine, tu scis* (IOANN. XXI, 15, 16). Satis et ipse declaravit, scientem Dominum interrogasse quod interrogavit. Sciebat igitur Dominus non solum quod dilige-

ret, verum etiam quod plus illis eum diligeret Petrus. Et tamen si proponamus quaerentes, quis duorum sit melior, utrum qui plus, an qui minus diligit Christum; quis dubitabit respondere eum qui plus diligit esse meliorem? Item si proponamus quis duorum sit melior, utrum quem minus, an quem plus diligit Christus; eum qui plus diligitur a Christo, meliorem procul dubio respondebimus. In illa ergo comparatione quam prius posui, Petrus Ioanni; in hac vero altera, Ioannes anteponitur Petro. Proinde tertiam sic proponimus: quis est duorum discipulorum melior, qui minus quam condiscipulus eius diligit Christum, et plus quam condiscipulus eius diligitur a Christo? An ille quem minus quam condiscipulum eius diligit Christus, cum plus ipse quam suus condiscipulus diligit Christum? Hic plane cunctatur responsio, et augetur quaestio. Quantum autem ipse sapio, meliorem qui plus diligit Christum, feliciorem vero quem plus diligit Christus, facile responderem; si iustitiam Liberatoris nostri minus eum diligentis a quo plus diligitur, et eum plus a quo minus diligitur, quem admodum defenderem, perviderem.

398 Aggrediar igitur in eius manifesta misericordia, cuius est occulta iustitia, de solvenda quaestione tam ingenti, pro viribus quas ipse donaverit, disputare: hucusque enim proposita est, non exposita. Exponendae vero eius hoc sit exordium; ut meminerimus in hoc corruptibili corpore quod aggravat animam (SAP. IX, 15), vitam nos miseram vivere. Sed qui iam redempti per Mediatorem sumus, et Spiritum sanctum piغم accepimus, beatam vitam in spe habemus, etsi re ipsa nondum tenemus. Spes autem quae videtur, non est spes: quod enim videt quis, quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per

patientiam expectamus (ROM. VIII, 24, 25). In malis autem quae quisque patitur, non in bonis quibus fruitur, opus est patientia. Hanc itaque vitam de qua scriptum est: *Nunquid non tentatio est vita humana super terram?* (IOB VII, 1), in qua quotidie clamamus ad Dominum: *Libera nos a malo* (MATTH. VI, 13), cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis: quamvis ut in eam veniret miseriam, primum fuerit causa peccatum. Productior est enim poena quam culpa; ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur et poena. Ac per hoc vel ad demonstrationem debitae misericordiae, vel ad emendationem labilis vitae, vel ad exercitationem necessariae patientiae, temporaliter hominem detinet poena et quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. Haec est istorum dierum, quos in hac mortalitate agimus malos, quamvis in ea diligamus videre dies bonos, flenda quidem, sed non reprehendenda conditio. Venit enim de ira Dei iusta, de qua Scriptura loquens: *Homo*, inquit, *natus ex muliere, brevis vitae, et plenus irae* (IOB XIV, 1): cum ira Dei non sit ut hominis, id est perturbatio concitatio animi, sed tranquilla iusti supplicii constitutio. In hac ira sua Deus non continens, sicut scriptum est, miserationes suas (PSAL. LXXVI, 10), praeter alia solatia miserorum quae generi humano praebere non cessat, in plenitudine temporis, quo ipse sciebat hoc esse faciendum, misit Filium suum unigenitum (GALAT. IV, 4) per quem creavit universa, ut manens Deus fieret homo, et esset mediator Dei et hominum homo. Christus Iesus (I TIM. II, 5): in quem credentes, per lavacrum regenerationis soluto reatu omnium peccatorum, et originalis videlicet quod generatio trahit, contra quam maxime regeneratio est

instituta, et ceterorum quae male agendo contracta sunt, liberarentur a damnatione perpetua, et viverent in fide et spe et charitate, peregrinantes in hoc saeculo, atque in eius tentationibus laboriosis et periculosis, consolationibus autem Dei et corporalibus et spiritualibus ambularent ad conspectum eius, viam tenentes, quod eis factus est Christus. Et quia in ipso quoque ambulantes non sunt sine peccatis, quae de huius vitae infirmitate subrepunt, dedit eleemosynarum remedia salutaria, quibus eorum adiuuaretur oratio, ubi eos dicere docuit: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris* (MATTH. VI, 12). Hoc agit Ecclesia spe beata in hac vita acrumnosa: cuius Ecclesiae Petrus apostolus, propter Apostolatus sui primatum, gerebat figurata generalitate personam. Quod enim ad ipsum propriae pertinet, natura unus homo erat, gratia unus christianus, abundantiore gratia unus idemque primus apostolus; sed quando ei dictum est: *Tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis*, universam significabat Ecclesiam, quae in hoc saeculo diversis tentationibus velut imbribus, fluminibus, tempestatibus quatitur, et non cadit, quoniam fundata est super petram, unde Petrus nomen accepit. Non enim a Petro petra sed Petrus a petra; sicut non Christus a christiano, sed christianus a Christo vocatur. Ideo quippe ait Dominus: *Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, quia dixerat Petrus: *Tu es Christus filius Dei vivi* (Ibid. xvi, 16-19). Super hanc ergo, inquit, petram quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam. *Petra enim erat Christus* (I COR. X, 4): super quod fundamentum etiam ipse aedificatus est Petrus. *Fundamentum quippe*

aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus (I COR. III, 11). Ecclesia ergo quae fundatur in Christo, claves ab eo regni coelorum accepit in Petro, id est potestatem ligandi solvendique peccata. Quod est enim per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus in petra; qua significatione intelligitur Christus petra, Petrus Ecclesia. Haec igitur Ecclesia quam significabat Petrus, quamdiu degit in malis, amando et sequendo Christum liberatur a malis. Magis autem sequitur in eis qui certant pro veritate usque ad mortem. Sed universitati dicitur: *Sequere me*, pro qua universitate passus est Christus: de quo dicit idem Petrus: *Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius* (I PETR. II, 21). Ecce propter quod ei dictum est: *Sequere me*. Est autem alia vita immortalis, quae non est in malis: *Ibi facie ad faciem videbimus, quod hic per speculum et in aenigmate videtur* (I COR. XIII, 12), quando multum in conspicienda veritate proficitur. Duas itaque vitas sibi divinitus praedicatas et commendatas novit Ecclesia, quarum est una in fide, altera in specie; una in tempore peregrinationis, altera in aeternitate mansionis; una in labore, altera in requie; una in via, altera in patria; una in opere actionis, altera in mercede contemplationis; una declinat a malo et facit bonum, altera nulum habet a quo declinet malum, et magnum habet quo fruatur bonum; una cum hoste pugnat, altera sine hoste regnat; una fortis est in adversis, altera nihil sentit adversi; una carnales libidines frenat, altera spiritualibus delectationibus vacat; una est vincendi cura sollicita, altera victoriae pace secunda; una in tentationibus adiuvat, altera sine ulla tentatione in ipso adiutore lae-

tatur; una subvenit indigenti, altera ibi est ubi nullum invenit indigentem; una aliena peccata ut sua sibi ignoscantur ignoscit, altera nec patitur quod ignoscat, nec facit quod sibi poscat ignosci; una flagellatur malis, ne extollatur in bonis, altera tanta plenitudine gratiae caret omni malo, ut sine ulla tentatione superbiae cohaereat summo bono; una bona et mala discernit, altera quae sola bona sunt cernit: ergo una bona est, sed adhuc misera; altera melior et beata.

Ista significata est per Apostolum Petrum, illa per Ioannem. Tota hic agitur ista usque in huius saeculi finem, et illic invenit finem: differtur illa complenda post huius saeculi finem, sed in futuro saeculo non habet finem. Ideo dicitur huic: *Sequere me*; de illo autem: *Sic eum volo manere donec veniam; quid a te? Tu me sequere*. Quid enim est hoc? Quantum sapio, quantum capio, quid est hoc, nisi: Tu me sequere per imitationem perferendi temporalia mala; ille maneat donec sempiterna venio redditurus bona? Quod apertius ita dici potest: Perfecta me sequatur actio, informata meae passionis exemplo; inchoata vero contemplatio maneat donec venio, perficienda cum venero. Sequitur enim Christum, perveniens usque ad mortem pia plenitudo patientiae: manet autem donec veniat Christus, tunc manifestanda plenitudo scientiae. Hic quippe tolerantur mala huius mundi in terra morientium, ibi videbuntur bona Domini in terra viventium. Quod enim ait: *Volo eum manere donec veniam*, non sic intelligendum est quasi dixerit, remanere vel permanere; sed, exspectare: quoniam quod per eum significatur, non utique nunc, sed cum venerit Christus, implebitur. Quod autem per hunc significatur cui dictum est: *Tu me sequere*, nisi nunc agatur, non pervenietur ad illud quod exspectatur. In hac

autem activa vita quanto magis Christum diligimus, tanto facilius liberamur a malo. At ipse nos minus diligit quales nunc sumus; et hinc ideo liberat, ne semper tales simus. Ibi vero amplius nos diligit; quoniam quod ei displiceat, et quod a nobis auferat, non habebimus: nec ob aliud nos hic diligit, nisi ut saenet et transferat ab his quae non diligit. Hic ergo minus, ubi non vult remanemus: ibi amplius, quo vult transeamus, et unde non vult pereamus. Amet ergo eum Petrus, ut ab ista mortalitate liberemur; ametur ab eo Ioannes, ut in illa immortalitate servemur.

Sed ista ratione illud ostenditur, cur amplius Ioannem quam Petrum amaverit Christus, non cur amplius Petrus quam Ioannes amaverit Christum. Neque enim, si plus nos diligit Christus in futuro saeculo, ubi cum illo sine fine vivemus, quam in isto unde eruiamur, ut illic semper simus, propterea nos tunc eum minus dilecturi sumus quando meliores erimus; cum meliores utique nisi amplius eum diligendo, nullo modo esse possimus. Cur ergo Ioannes minus eum diligebat quam Petrus, si eam vitam significabat, in qua est multo amplius diligendus, nisi quia propterea dictum est: *Volo eum manere*, id est, exspectare, *donec veniam*, quoniam et ipsum amorem qui tunc multo amplior erit, nondum habemus, sed futurum exspectamus, ut cum ipse venerit, habeamus? Nam sicut in Epistola sua idem dicit Apostolus: *Nondum apparuit quod erimus; scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (I IOANN. III, 2). Tunc ergo amplius quod videbimus, diligemus. Ipse autem Dominus illam quae futura est vitam nostram, qualis in nobis futura sit sciens, praedestinatione plus amat, ut ad eam nos amando perducatur. Quo-